

Prima et
secunda
visilia.

Visilium
actiones.

primorum visilium constituunt genus. Quod Peripatus nequaquam vidit, qui asseruit prima visilia colores esse. Idque non minus cæce aspexit, quam Stoici, quæ de tenebris affirmarunt. Cum colores secundum et non primum visilium genus constituant. Quoniam per priora illa visuntur ipsi secundario. Nec vero tenebræ, et obscuritas, et umbra, et umbratio, sunt res vere minus constantes, quia lucis eiusque specierum ac prolium dicantur privationes. Nam si simplices essent privationes, agendi vim, aut actionem haberent nullam. Actionem autem in diaphanum habent manifestam. Id enim se ipsis replent, non minus quam lucis proles. Perque ipsum, se se longius propagant. Inque brevius se se retrahunt, obscurius et clarius faciunt. Lumen inde pellunt; indeque a lumine pelluntur, visum multis adimunt animalibus, sicuti lumen quoque multis aliis adimit visum. Hæc autem omnia actiones opacitatis esse nemo visu ac mente præditus negabit.

Actio autem omnis et passio provenit a viribus agendi et patiendi. Vires autem omnes ab essentia sibi propria procreantur, et in essentia sunt. In ea fundantur, ex eaque funduntur. Non sunt ergo tenebra, et obscuratio, umbra, umbratioque simplices, lucis et luminis privationes, sed vera sunt entia, qualia dicunt positiva, et si pertinacius privationes contendantur esse: non minus harum quoque privationes erunt radii, lumen, splendor ac nitor. Contrariotum namque et eadem sæpe et contraria est ratio. Non aliter scilicet, quam in contrariis, confessis positivis, calor frigoris sit privatio, et frigus privatio caloris, humiditas privatio siccitatis; et siccitas privatio humiditatis. Eodemque modo, in contrariis, deque contrariis cunctis. Inter quæ lux est, et opacitas, et singulæ harum proles sibi invicem, uti monstravimus contrapositæ, sunt altera alterius privationes, sed positivæ. Differunt autem, et obscuritates, et fulgores, maiore, et minore, vel candore, vel nigrore, prout vel fonti propiores fuerint, vel a fonte longius abscesserint. In quo quidem fonte suo, luce et opacitate, summa sunt utraque. Ab eo, quæ processerunt fonti propiores, fonti etiam sunt similiores. Omne enim producens sibi simile ante producit, quam dissimile. Atque hinc fit, quoto gradu fulgores a luce discedant, nigroris magis fiant participes: et quoto gradu nigrores discedant ab opacitate, tantundem candoris acquirant magis et in minorem abeant nigrorem. Hasce autem differentias omnes, visus quivis non cæcutiens diiudicare haud difficulter potest. Nam opacitas, lucem nullam, nullumque admittit candorem; sicuti nec lux, nigrorem admittit ullum.

Per tenebram vero non nisi lux et albedo fulgida, percipitur, colores nulli. Per obscuritatem vero, et lux, et albedo, et quadam tenuis colores perspiciuntur, sed exiliores, omnes. In umbra vero et præsentia et distantia cernuntur, ea quæ sunt colorata.

Umbratio etiam clarius omnia representat. In adumbratione vero, nitore, umbratione commista, medio quodam modo conspiciuntur omnia. Hæ autem differentiæ omnes non aliunde pronascuntur, quam ob lucis, atque opacitatis, et eorum quæ ab eis procreantur, mistionem. De qua quidem visilium primorum mistione commodiore loco peragetur. Satis nunc esto, demonstrasse, tenebras inter prima visilia esse reponendas, et luminis aliquid participare: eas scilicet quæ super terram sunt. Verum eæ quæ in terræ visceribus habitant, et noctem atram ibi perpetuam faciunt, eiusdem ne generis visilium primorum erunt: an aliud quid sunt? Sed quid aliud fuerint, aut esse possint? Tenebræ enim sunt, sed densiores et nigriores superterraneis. Magis autem et minus, speciem variare nequeunt, et specie ergo, et genere eodem sunt tenebræ utræque, visibiles utræque; luci, utræque contrapositæ. Lucis itaque, maximæ, contraria lux minima. Cum ergo de lucium genere, tenebræ etiam sint, et lumen et tenebræ universum terrenum globum, et intus et extra, teneant; verum fuit asserere, omnia in lumine iacere, quamvis minimo, vel maximo. Idque esse verissimum apparuit, ubi minime, vel contrarium credebatur esse, vel de veritate maxime dubitabatur.

Sed hoc ipsum, alia quoque ratione sensui manifesta verum esse constat. Omnia enim opaca corpora colore aliquo sunt, infecta. Color autem omnis est lux opacata, quod alias probabimus. Itaque cum universum hunc terrestrem mundum color obvestiat, color autem omnis sit lucis et luminis proles, omnia quæ in coloribus iacent, iacent etiam in lumine.